

non tamen probant fieri per concursum prævium, aut concomitantem; tum ex testimoniis Scripturæ quæ statim allegat, quæ nihil aliud probant, nisi quod explicavimus, ut ex his quæ de Scriptura diximus constat.

CAPUT XXXVIII.

QUID DE CONCURSU PRÆVIO IN CAUSIS SECUNDIS NATURALIBUS D. THOMAS SENSERIT.

1. *Quæstio de mente sancti Thomæ quæ ex illo colligunt adversarii.* — Venio ad D. Thomam, sub cuius sola umbra et auctoritate, prioris sententiæ auctores eam defendunt, et inter eos Alvarez dixit sine dubio esse expressam sententiam D. Thomæ. Sed sine dubio ita est D. Thomæ sicut Augustini, de quo idem affirmat, non tamen probat, ut notavi. Primum ergo D. Thomas in Summa illam sententiam non docuit, sed potius hanc nostram satis aperte indicat, nisi in sensu improprio per vim exponatur. Solet autem imprimis allegari D. Thomas, 1 p., q. 105, a. 4 et 5 (omitto autem nunc quartum, quia in eo specialiter tractat de voluntate, de qua postea dicturi sumus). In articulo ergo quinto, agit de omni causa secunda operante. Et in corpore ita concludit: *Deus in omnibus intime operatur.* Et hanc assertionem probat ex Scriptura, Isai. 26: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine,* et Job 40: *Pelle et carnibus vestisti me,* quæ, ut vidimus, in omni proprietate solum probant concursum cooperantem. Hunc ergo in sua conclusione intendit D. Thomas. Quia vero in discursu rationis utitur illis modis loquendi: *Secundum agens agit in virtute primi, et primum agens movet secundum ad agendum, et Deus movet res ad operandum, quasi applicando formam, et virtutes rerum ad operationem;* ideo illi auctores interpretantur omnia hæc dici propter prævium influxum in causam: nos autem dicimus ad omnia illa sufficere influxum in causam dando illi formam et virtutem operandi, et conservando illam, cum concursu concomitante in effectum, quod quomodo intelligendum sit, solvendo argumenta et alia testimonia ejusdem Doctoris sancti declarando, luculentius explicabimus.

2. *Mens sancti Thomæ qui hanc sententiam probat.* — *Locus ex 1 part., quæst. 105, art. 5.* — Nunc vero quod ad istum locum attinet, ex illo colligimus D. Thomam, præter effectivam et conservationem causæ ac permanentis virtutis ejusdem, unam tantum Dei operatio-

nem seu actionem ponere ad generalem ejus concursum, et illam esse concomitantem influxum, et per hoc tacite docere alium prævium non esse necessarium, sicut ex aliis testimoniis argumentati sumus. Assumptum declaramus. Primo, quia cum D. Thomas quærit an Deus operetur in omni operante, maxime interrogat de operatione per se et immediate tendente ad eundem effectum causæ secundæ; hoc enim est quod ad fidei doctrinam pertinet, et contra hoc tendunt omnia argumenta quæ D. Thomas proponit, et occasione quæstionis in hoc sensu intellectæ, ortus fuit error quem in corpore articuli refert. Cum ergo in principio articuli, ex eo quod omnia agunt in virtute Dei, et quod primum agens movet secundum ad agendum, infert: *Et ita ipsa* (utique virtus Dei) *est causa omnium virtutum agentium,* intelligit plane de causa per se et immediate eliciente, seu efficiente ipsam actionem secundorum agentium; ergo in illis principiis, quæ assumit, non loquitur de virtute vel motione prævia in causam, sed loquitur de virtute intrinseca et increata ipsius primi agentis, in cuius virtute cætera agunt, et de motione intima qua secundum agens, per concursum in ejus actione imbibitum, ad agendum juvat. Nam si illa propositio intelligatur de motione prævia primæ causæ recepta in secunda, non inferretur ex ea per locum intrinsecum immediatus influxus Dei in actionem creaturæ, sed ad summum mediante illa motione indita ipsi causæ secundæ. Melius ergo intelligitur illud principium de motione adjuvante concomitante, et simultanea, et imbibita in actione causæ secundæ.

3. Idem sumi potest ex altera ratione quam subdit, quia Deus est causa universalissima totius esse, et ideo intime operatur in omnibus; hæc enim ratio de consensu concomitante concludit, non de alio. Estque considerandum D. Thomam unam tantum ponere assertionem, et ad eam probandam et explicandam omnes rationes dirigere, et variis modis loquendi uti, non quia existimaverit, quotiescumque Deus operatur cum causis secundis, duas semper actiones, seu motiones, aut concursus eis tribuere (nunquam enim hoc ita declaravit), sed ut doceret concursum Dei, etiamsi in ipsa actione causæ secundæ imbibatur, esse altioris ordinis et perfectionis, et oriri ex universalissima virtute causæ primæ cui secunda subordinatur, non vero e contrario. Cum ergo D. Thomas duplicem illam actionem Dei nunquam declaraverit, verisimile non est tam confuse et obs-

cure, et sine speciali probatione illas tradidisse, ubi rem ex professo, et quasi in ultimo testamento disponebat ac disputabat. Cujus etiam argumentum mihi est, quia nihil contra duplicem concursum in argumentis objicit, sed contra unum tantum, et in solutionibus defendendo unum concursum comitantem putat se omnibus difficultatibus sufficienter satisfacisse. De nullo enim alio in solutionibus loquitur, et quæ in eis tradit hunc sensum confirmant, ut breviter per illas discurrendo declarabo, a secunda incipiendo, quia in illa res est clarior.

4. In solutione ergo ad secundum, expresse dixit concursum causæ primæ et secundæ esse unam et eandem actionem, prout procedit a primo et secundo agente, quæ cum sint diversi ordinis, possunt esse principia ejusdem actionis. Idem colligitur ex solutionibus ad primum, si consideretur argumentum quod de immediata actione ipsius effectus procedebat: quia, si talis actio est a Deo, superflua esset actio causæ secundæ, cum actio Dei sufficiens semper existat; quod necesse est intelligi de actione per se et immediata, alias conditionalis propositio impertinens esset et falsa. Respondet autem D. Thomas Deum quidem per illam actionem sufficienter agere, non in omni genere agentis, sed per modum agentis primi, et propterea non esse superfluum cooperationem secundi agentis; ergo ex vi influxus primi agentis nullum alium concursum D. Thomas requirit. Considerandum etiam est argumentum tertium cum solutione; erat enim argumentum, Deum operari sufficienter in omni operante, quia omnibus dedit virtutes operandi, easque conservat. Respondet autem non solum hoc modo operari in omnibus causis secundis, sed etiam eas *applicando* ad agendum, quod verbum *applicandi* statim alii ad concursum prævium applicant. Ego vero, ut responsio D. Thomæ sit sufficiens, inde colligo in phrasi et modo loquendi divi Thomæ etiam applicationem ad agendum secundi agentis a primo, quæ sit per se ac intime, et quasi essentialiter requisita, non esse aliam ab ipsa actione, qua secundum agens, ultimate et quasi in actu secundo, ita applicatur ad agendum, ut passum virtute sua contingat, ac proinde non fieri a Deo, nisi per concursum in ipsamet actione imbibitum. Nam si hoc ita non esset, non satis respondisset D. Thomas, Deum non tantum operari dando et conservando virtutem agendi, sed etiam applicando ad agendum, quia si illa applicatio esset prævia, adhuc ex vi illius Deus non con-

curreret immediate et per se ad actionem causæ secundæ, sel vel per accidens, dando aliquam conditionem sine qua non, vel ad summum, dando complementum aliquod virtutis agendi; quam doctrinam paulo post, tractando locum alium, quæst. 3 de Potent., magis explicabo.

5. Denique ad hoc confirmandum, expendo et declaro verba tituli illius articuli, utrum Deus operetur in omni operante; illa enim particula, *in*, duobus modis potest intelligi; primo, ut dicat habitudinem subjecti, ita ut quærat an omne operans sit subjectum in quo Deus operetur. Secundo, dicere potest particula, *in*, habitudinem intimæ præsentiae ad operandum, ita ut sensus sit an Deus in omni operante operetur, tanquam in illo intime existens, et cum illo intime operans. Quod ergo D. Thomas in priori sensu quæstionem non moverit, facile persuaderi potest ex dictis, quia neque ex argumentis aliquid objicit contra illum sensum, nec argumentum, *Sed contra*, ex verbis Isaïæ sumptum in illo procedit, nec in corpore articuli ad illum respondet, neque aliquam rationem affert, qua responsionem in illo sensu affirmantem comprobet. Intendit ergo alium sensum, quem non solum dicta omnia contrario modo inducta indicant, sed etiam verba principalis assertionis responsivæ aperte declarant; sic enim concludit: *Sequitur quod Deus in omnibus intime operatur,* quod sufficientissime et verissime, ratione conservationis formæ, et virtutis agentis, simul cum concursu simultaneo ejusdem actionis intelligitur. Et explicatur optime ex verbis ejusdem D. Thomæ, 1 part., quæst. 8, art. 1, ad 3, ubi ait, hoc ad maximam virtutem Dei pertinere, quod immediate in omnibus agit: unde nihil est distans ab eo, quasi in se illum non habeat.

6. *Alia loca sancti Thomæ quæ primum illud confirmant.* — Discursum et ponderationem hujus loci, qui in hac materia esse debet capitalis, multum confirmat modus loquendi D. Thomæ de hoc concursu in hac materia de gratia, 1. 2, quæst. 109, fere per totam: nam in primo articulo sic ait: *Actio cujuscumque agentis creati pendet a Deo quantum ad duo, uno modo in quantum a Deo habet formam, seu perfectionem per quam agit: alio modo, in quantum movetur ab ipso ad agendum.* Deinde addit agens creatum per propriam formam habere efficaciam ad effectum sibi proportionatum: ut autem ultra illum agat indigere forma superaddita; satis aperte insinuans ad

effectus proportionatos non indigere forma vel perfectione superaddita, sed tantum motione, id est, adiutorio et cooperatione primi agentis. In quo testimonio duo pondero: unum est, duo tantum postulare D. Thomam ad actionem causæ, unum ex parte ipsius causæ, scilicet, virtutem agendi; alterum ex parte Dei, motionem seu concursum, ac proinde alienum esse a mente D. Thomæ duas actiones vel motiones ex parte Dei postulare. Alterum est, quando causa secunda habet virtutem proportionatam suo effectui, non indigere ad agendum nova virtute, aut perfectione in se recepta, ac subinde tunc non esse necessarium influxum in causam, quia si talis influxus esset necessarius, non posset per illum non dari causæ nova perfectio, et virtus activa ultra illam quam naturalem habet, ut supra cap. 28 ostensum est; hoc tamen aperte D. Thomas negat. Eodem modo in art. 2, 3 et 9, unicum tantum concursum generalem ad opera naturalia requirit, quod vocat *auxilium Dei moventis*, ut supra vidimus: cur autem ita illum appellet, supra etiam tactum est, et paulo post iterum dicitur.

7. *Responsio ad illa loca rejicitur.*—Ad hæc loca respondent aliqui ex Thomistis, sub motione Dei comprehendere D. Thomam concursum prævium et simultaneum, eosque, licet realiter inter se distinguantur, tanquam unum numerare, quia ordinantur ad unum effectum, et ideo quasi unum censentur. Sed hæc expositio a nullo antiquo Thomista data est, nam Capreolus, in 2, distinct. 28, quæst. 4, ad 12, ut supra allegavi, negans cum Gregorio necessitatem motionis præviæ ad auxilium generale, dicit concordare D. Thomam, et citat hunc locum. Conradus etiam ibi de unica influenza generalis concursus hæc loca intelligit, referens ad ea quæ dixerat quæst. 9, a. 4, ubi, in fine corporis, ait illam generalem influentiam esse solam efficientiam actionis voluntatis, prout est a Deo, præter alia quæ ex quæst. 79 supra allegavimus. Deinde est illa expositio contra proprietatem verborum, et voluntaria, quia illo modo etiam virtus activa causæ secundæ et concursus Dei sunt unum, quia ad unum effectum ordinantur; et in beatitudine dici posset duo tantum requiri ad videndum Deum, scilicet, lumen et intellectum, quia, licet requiratur objectum, seu divina essentia per modum speciei, unum censetur cum lumine, quia ad eundem effectum tendit. Denique mirum profecto est, ut supra dicebam, quod D. Thomas crediderit duas motio-

nes Dei esse necessarias, et quod toties, et in tot articulis, semper de illis ut de una tantum loquatur, propter solum ordinem ad eundem effectum, cum id sit valde metaphoricum et inusitatum.

8. *Alia illorum articulorum explicatio rejicitur.*—Alii ergo interpretantur D. Thomam loqui in illis articulis de concursu prævio, et in causam. Ita exponit Alvarez et probat, quia S. Thomas dicit: *Quod per illam motionem Dei accipiat virtutem ipsa causa secunda ad operandum.* Longe vero aliter exposuit ibi Cajetanus, nam dicta quæst. 109, artic. 1, in principio, dicit afferre D. Thomam illud principium, quod agens secundum indiget motione primi agentis ad movendum, ut ostendat, *quod non solum dependemus in esse et conservari, sed etiam in operari, itaque ipso non cooperante non possemus operari*, ubi per illam motionem intelligit divinam cooperationem, et nihil aliud existimat necessarium. Deinde si D. Thomas loquitur de concursu prævio, cum unicum tantum requirit, sequitur ex illius sententia non esse necessarium concursum immediatum Dei in actionem creaturæ, sed in illam solum influere medio concursu prævio, quod nec dictus auctor admittit, neque dici potest, ut in cap. 28 et sequenti late declaratum est. Denique falso D. Thomæ imponitur, quod in illis articulis dicat causam secundam accipere virtutem ad operandum a prima per motionem præviam; nihil enim tale in illis articulis invenitur, sed solum quod causa secunda pendet a prima quoad duo, scilicet, quoad virtutem agendi, et quoad actualem motionem; non tamen dicit accipere virtutem, sed potius ait virtutem supponi ad motionem quando effectus est proportionatus naturali virtuti causæ secundæ, et tunc negat esse necessarium aliquid perfectionis illi addi. Unde alii Thomistæ, etiamsi dicant præviam motionem esse necessariam, negant per illam addi vel consumi virtutem agendi, quia alias tolleretur omnis sufficientia causarum secundarum ante actualem concursum Dei. Et idem P. Alvarez negat illam motionem tenere se ex parte actus primi, quod plane repugnat, si dat causæ virtutem ad operandum, ut in dicto cap. 28 et sequenti late dictum est. Necessarium ergo est ut D. Thomas, loquens de una generali motione primi agentis, per illam concursum simultaneum intellexerit, quia ille est intimior, et ex vi essentialis dependentiæ evidenter necessarius.

9. *Explicatio illorum locorum quæ ab adver-*

sariis afferuntur ex sancto Thoma, lib. 3 contra gent., c. 66 et 67.—Atque ad hunc modum possunt induci omnia quæ de ista dependentia, et motione causæ secundæ a prima tradit late D. Thomas, 3 contra gent., cap. 66 et 67, quæ solent in contrarium allegari, quia in eis dicit Doctor sanctus omnes causas secundas agere in virtute primæ, et Deum esse causam operandi omnibus operantibus; nam utrumque volunt adversarii intelligi propter influxum prævium in causam. Sed non ita est; nam si omnes actiones, quas illis capitulis ad illam conclusionem probandam D. Thomas affert, attente considerentur, nihil de tali concursu prævio in eis invenietur. Quia solum duobus præcipuis modis declarat Deum esse alios operantibus causam operandi, scilicet, quia eis dedit virtutes operandi quas semper conservat, et quia agere non possunt, nisi Deus illarum effectibus et actionibus esse influat, quod facit per concomitantem concursum: et ratione illius dicuntur omnia agere in virtute Dei, ut paulo post in capite sequenti amplius explicabo.

10. *Explicatur c. 70, lib. 3 contra gent.*—In capite vero 70, ut declarat quomodo idem effectus sit a Deo et naturali agente, prius objicit tria argumenta, quæ omnia supponunt illam efficientiam in hoc consistere, quod virtus divina et virtus causæ, una et eadem actione, totum effectum naturalem producant. Deinde modum illius causalitatis per hoc solum declarat, quod primum agens dat secundo virtutem agendi, et conservat eam, et applicat illam ad agendum, ubi necesse est loqui de applicatione qua per se et immediate fit effectus. Nam inde infert, sicut secundum agens immediate est activum, ita virtutem primi agentis esse immediatam ad producendum effectum, quod certe non esset consequens, nisi illa applicatio ad agendum esset intima ipsi effectui, et per actionem ipsam per se et immediate terminatam ad ipsum fieret, ut circa solutionem ad tertium primi testimonii ponderavi. Et juxta hunc sensum procedunt reliqua, quæ respondendo ad argumenta docet. Nam imprimis concedit unicam esse actionem causæ primæ concurrentis cum secunda, et ipsius causæ secundæ, neque in generali concursu ponit unquam aliquam actionem, quæ sit solius Dei. Deinde ostendit neutram causam esse superfluum, quia secunda agit in virtute primæ, quatenus ab ea essentialiter in agendo pendet; et quia prima vult locum agendi concedere causæ secundæ, illi efficien-

tiam suam ex immensa sua bonitate attemperat. Ac tandem ex eodem principio facile declarat, quomodo totus effectus sit a duabus causis subordinatis inter se. Non dicit autem aliquam ex his causis, scilicet, primam habere duplicem influxum in effectum, distinctum ab influxu causæ proximæ, nimirum unum per virtutem instrumentariam, denuo et actualiter factam in causa secunda, et alium immediatum in ipsum effectum, et proxime procedentem a virtute increata in ipso Deo existente; alioqui debuisset D. Thomas etiam respondere cur hoc superfluum non sit, vel quæ imperfectio causæ secundæ tot Dei actiones et influxus requirat, quod semper in agendo niti debeat immediate in ipsa virtute increata Dei, et hoc satis illi non sit ad dandum esse suo effectui, et ad dependentiam, quæ in hoc debet ab ipso esse per essentiam.

11. *Omittuntur alia loca D. Thomæ.*—*Locus quæst. 3 de Potent., art. 7.*—Alia sunt plura D. Thomæ loca quæ in utramque partem ab auctoribus utriusque sententiæ agitantur, quæ nunc omitto, quia vel superioribus similia sunt, vel in argumentis primæ sententiæ tanguntur, et in capite sequenti tractabuntur, vel pertinent ad concursum cum voluntate libera, de quo dicere incipiemus cap. 41, vel denique pertinent ad auxilium efficax gratiæ, de quo in libro 5 dicturi sumus. Aliis ergo omissis, prætermittere hic non possumus locum celebrem in quæst. 3 de Potent., artic. 7, quo nos maxime premunt defensores prioris sententiæ, quia in eo, præsertim in solut. ad 7, aperte videtur D. Thomam ponere in causis secundis duplicem virtutem necessariam ad agendum, unam firmam et permanentem, quæ est virtus connaturalis unicuique causæ, aliam fluentem, quæ a Deo fit in re naturali, ut per eam actualiter agat; et de hac dicit esse per modum intentionis, et habere esse incompletum ad instar motus instrumenti, vel ut species coloris in aere, propter quæ verba dixi in libro 4 de Auxiliis D. Thomam in eo loco sensisse dari in causa secunda aliquid prævium actu inditum a causa prima ad agendum, illam vero sententiam postea tacite retractasse; quæ responsio rejicitur a novioribus Thomistis, et video antiquiores etiam non ita de eo loco sensisse: nam Capreolus et Cajetanus, ut supra dixi, doctrinam illius articuli allegant et sequuntur, tanquam consentaneam et conformem doctrinæ ejusdem sancti Doctoris, et ideo paulo diligentius articulum illum considerare libuit, ut simul occasione illius omnia quæ de

reliquis locis diximus, amplius declarem et confirmemus.

12. *Explicatur accuratius.* — Primo ergo considerandus est discursus corporis articuli, in quo, impugnato errore, qui secundis causis proprias suas efficientias negabat, ita concludit: *Non ergo sic est intelligendum, quod Deus in omni re naturali operetur, quasi res naturalis nihil operetur, sed quia in ipsa natura, vel voluntate operante Deus operatur, ubi particula in (ut supra notavi) non dicit habitudinem ad naturam vel voluntatem ut subjectum, sed ut principium operationis suæ, ratione cuius dicitur Deus in ea operari; alias nec assertio responderet quæstioni, neque per illa verba explicaretur Deum efficere ipsammet operationem naturæ. Nam in titulo non quæsitivum an Deus operetur in natura operante, sed an operetur in operatione naturæ, id est, an operetur ipsammet operationem naturæ; in eodem ergo sensu loquitur in illa assertionem, affirmando Deum efficere operationem naturæ et voluntatis, et ideo statim aggreditur explicare modos quibus una causa esse potest principium actionis alterius: ponit autem quatuor modos. Primus est dando virtutem agendi, secundus est conservando illam, tertius ut applicans et movens virtutem agendi inferioris causæ, quartus ut principale agens respectu instrumenti. Ex omnibus his modis dicit Deum esse causam efficientem actionis causæ secundæ: ex illis tamen quatuor modis duo primi ad præsentem quæstionem non spectant; nam etiam Durandus, et alii qui negarunt necessitatem generalis concursus, illos modos non negant, quia illi modi efficiendi non sunt per se et immediati respectu actionis creaturæ, sed remoti, et quasi per accidens, sicut causa causæ est causa causati; sed præmittuntur a D. Thoma, tam in illo loco quam in aliis, quia explicant essentialem dependentiam causæ secundæ, et virtutis ejus in suo esse a causa prima, ex qua oritur dependentia etiam in agendo. Oportet autem notare illos duos modos necessario non esse per actiones seu influxus in re ipsa distinctos, quia productio et conservatio esse potest eadem actio continuata. Unde per se tantum distinguuntur habitudine ad esse vel non esse quod præcessit, ut ex Metaphysica constat.*

13. *Quomodo D. Thomas dicat Deum movere causam secundam.* — Tertius modus quo Deus dicitur causa actionis causæ secundæ, erat quatenus movet illam ad agendum, et addit D. Thomas hæc verba: *In quo non intelligitur*

collatio, vel conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem; per quæ explicat satis hunc motum non esse talem cogitandum, ut per eum conferatur causæ secundæ nova aliqua virtus agendi, et consequenter non esse concursum prævium, qualis a novioribus Thomistis cogitur. Nam quidam illorum fatentur addere complementum virtutis; alii vero, licet nomen refugiant, rem plane fatentur, dum aiunt per illam motionem conferri causæ secundæ aliquid quod est formale principium efficiendi actionem causæ secundæ: ex quo necessario sequitur tale principium conferri causæ secundæ per illam motionem, ac subinde conferri aliquam virtutem agendi; principium enim agendi per se non agit sine virtute, ut est per se notum. Explicat ergo D. Thomas motum illum esse tantum applicationem virtutis ad agendum, quod duobus modis potest intelligi.

14. *Primus modus explicandi dictum illud.* — Primo, proprio et vulgari modo de applicatione antecedente, quæ solet esse conditio necessaria ad agendum, et antecedere solet in agentibus creatis quoties agere incipiunt, maxime quando agunt ex necessitate naturæ, nam de liberis postea dicemus. Illa enim, cum positis omnibus requisitis ad agendum necessario agunt, si habeant totam virtutem per se necessariam ad agendum et non agant, non potest esse nisi ex defectu alicujus conditionis necessariæ, quam applicationem præviam ad agendum nunc vocamus: ac proinde si virtus est eadem, et antea non agebat, et nunc agere incipit, necesse est ut aliqua applicatio præcesserit. Sed in hoc est notanda differentia inter potentias vitales, quæ immanenter agunt, et virtutes agentes actione transeunte; nam in prioribus semper applicatio materiæ circa quam fit per aliquam mutationem in ipso agente, quamvis non sit semper necessaria in eadem potentia; etenim si potentia sit appetitiva, requirit præviam applicationem materiæ, quæ fit per cognitionem, et sic applicatio illa fit per mutationem in apprehensiva potentia: si vero sit apprehensiva, et antea nihil operetur, oportet ut ab aliquo objecto exeiteatur, quod non fit sine aliqua mutatione et impressione speciei; si vero jam operatur, potest per potentiam appetentem ad alium actum applicari, et tunc applicatio fit per mutationem in appetitu factam. At vero in his quæ agunt actione transeunte, applicatio sæpe fit per motum ipsius agentis, aliquando vero fieri potest per solam passi mutationem. In toto

autem hoc genere applicationum, motio quæ intervenit fit ordinarie, seu intra ordinem naturæ sistendo, per causas secundas, et per motus physicos, et nobis notos, ut sunt motus locales in rebus inanimatis, et actus vitales per productiones phantasmatum, aut aliarum specierum intentionalium in viventibus. Et simul etiam tota hæc applicatio fit a prima causa, ut concurrente cum secunda movente et applicante aliam, et tunc respectu applicantis active Deus agit per concursum simultaneum; respectu vero causæ applicatæ est motio prævia, non tamen per se requisita ex vi essentialis dependentiæ a prima causa, sed ex defectu conditionis requisitæ, quæ supponitur præcedere, quod accidentarium est. Nec etiam illa semper recipitur in causa quæ applicatur ad agendum, sed tunc solum quando applicatio fit per directam actionem in ipsam, quod non est in omnibus necessarium, ut declaravi.

15. *Rejicitur motio prævia.* — Præter hos autem modos applicationum, non potest cogitari alius qui sit per motionem conditionis tantum præviæ ac necessariæ ex parte causæ secundæ, ut præcise in actu primo intellectæ. Et ideo, sicut in locis antea tractatis dixi, ita et in hoc verisimile mihi non est D. Thomam loqui in hoc modo applicationis. Nam licet verissimum sit, quoties illa applicatio necessaria est, et fit, illam facere Deum; tamen neque est per se necessaria in omni actione creaturæ, neque fit immediate a solo Deo secundum communem cursum naturæ: hic autem tractamus de concursu quem Deus, per seipsum et immediate, confert in omni operatione causæ secundæ. Et ideo illo peculiari modo ipsammet exhibitio actionis potest dici applicatio agentis ad agendum, non prævia, seu in actu primo, sed quasi formalis, et in actu secundo, et hæc per se necessaria est in omni agente, quoties de novo agere incipit; et de hac intelligo loqui D. Thomam, et in illo articulo, et quoties dicit Deum per generalem concursum applicare causam secundam ad agendum. Ad hoc autem non est necesse ut aliquid prævium ponat in causa secunda, imo neque illud intelligi potest, quia cum sit formalis applicatio quæ per ipsam fit, inter illam et principium agendi non potest altera applicatio intercedere, nam omnis alia, quæ cogitari potest, præcedit, et tenet se ex parte actus primi; hæc ergo applicatio eo modo a Deo fit quo ipsa actio causæ secundæ, cum sint idem: actio autem fit per se et immediate a Deo per seipsum, seu per

concursum simultaneum in ipsa; ergo eodem modo fit dicta applicatio; ergo propter illam non oportet D. Thomam in illo tertio modo ponere influxum prævium in causa.

16. *Objicitur sanctum Thomam uti verbo movendi.* — Respondetur. — Instabis expresse D. Thomam docere per hanc applicationem moveri virtutem causæ secundæ ad agendum: quomodo autem moveri potest nisi aliquid in se recipiendo? Unde D. Thomas semper utitur exemplis quæ supponunt motum receptum in re quæ applicatur ad agendum, ut est applicatio cultelli ad scindendum, vel calami ad scribendum. Respondeo D. Thomam uti verbo movendi ad explicandam dependentiam secundi agentis a primo, et superioritatem ac potestatem primi agentis in secundum: non oportet autem illud verbum in physico rigore et proprietate sumere, sed juxta materiæ exigentiam ac capacitatem. Sicut ergo applicare causam secundam ad agendum, nihil aliud est quam illam actioni suæ subjungere, ita movere illam ad agendum, per se ac formaliter loquendo, non est nisi illam actu agentem constituere, quod non aliter fit effective a Deo, nisi efficiendo ipsam actionem ejus, quod facit per influxum in ipsa actione imbitum. Et sic etiam dixit D. Thomas, in eodem art., et in 4 part., quæst. 36, art. 3, ad 3, *virtutem causæ primæ conjungere causam secundam suo effectui.* Non enim conjungit illam, nisi vel potestate, dando illi virtutem agendi, vel actu efficiendo actionem ejus; hoc enim modo applicat ultimate illam et movet, seu juvat potius ad agendum.

17. *Explicatur responsio.* — Addere vero possumus Deum concurrere cum causa secunda per voluntatem suam præbendo concursus; potest ergo actio causæ secundæ comparari vel ad actionem Dei externam, vel ad voluntatem Dei: priori modo, non tam dicitur causa secunda moveri a Deo quam juvari, vel cum illa cooperari Deum; posteriori autem modo dici potest moveri a Deo ad agendum, non per impressionem externam et præviam in illa factam, sed per quamdam subordinationem, ad eum modum quo intellectus dicitur moveri a voluntate, quando ad credendum applicatur, non quia voluntas aliquid imprimat intellectui ad actum fidei et principium illius, ut quidam noviter inducere tentant, sed propter sympathiam et naturalem subordinationem potentialium, ut est communis Philosophorum consensus. Sic ergo dicitur causa naturalis moveri ad agendum per voluntatem